



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Rejiciuntur duæ primæ sententiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

ARTICVLVS IV.

An de potentia extraordinaria possit quis iustificari per externum Dei favorem, vel per solos actus contritionis & charitatis, etiam si gratia iustificans ei non infundatur?

§. I.

Quibusdam premissis referuntur sententia.

56. **S**uppono primo, duplicem posse distingui iustificationem; unam perfectam & completam, quæ non tantum dicit remissionem offensæ Deo per peccatum illatæ, sed etiam ablationem maculæ, ex peccato præcedenti in anima relicte: alteram verò imperfectam & incompletam, quæ solum importat remissionem offensæ, & relaxationem pænæ ei debitæ.

57. Suppono secundo, hominem posse considerari duobus modis, seu in duplici statu, nempe in statu naturæ puræ, præcise ab ordinatione ad finem supernaturalem; & in statu ordinationis & elevationis ad ordinem & finem supernaturalem. Primo modo consideratus, nullum haberet præceptum supernaturale, nec peccando offenderet Deum ut autorem & finem supernaturalem, sed solum ut finem naturalem; sicque peccatum ipsius importaret solum transgressionem legis naturalis, aversionem à Deo ut fine ultimo naturali, & privationem nitoris qui ex refulgentia luminis rationis & legis naturalis procedit. Secundo modo spectatus habet præcepta supernaturalia, & peccando avertitur à Deo ut fine supernaturali, ipsumque ut talem offendit, ac proinde privatur gratiâ, per quam solum potest esse acceptus ad æternam & supernaturalem felicitatem. Unde plura importat peccatum in homine ad finem supernaturalem elevato, quam si fuisset suæ puræ naturæ relictus: in homine enim ad finem supernaturalem elevato, includit aversionem à Deo, ut fine tam naturali quam supernaturali; privationem nitoris provenientis tam ex lumine gratiæ, quam ex refulgentia luminis rationis, & legis naturalis; & condignitatem pænæ æternæ: at verò in homine suæ puræ naturæ relictæ, diceret solum aversionem à Deo ut fine naturali; privationem nitoris rationis naturalis; & condignitatem alicujus pænæ infinitæ. His præmissis.

58. Circa difficultatem propositam varia sunt Authorum placita, quæ ad quatuor vel quinque reduci possunt. Prima sententia asserit hominem tam in hoc statu naturæ elevatæ, quam in statu puræ naturæ, sine ulla gratia intrinseca, per solum extrinsecum Dei favorem posse iustificari, etiam iustificatione completâ & perfectâ, quæ non solum remissionem offensæ, sed etiam ablationem maculæ importat. Ita docent Scotus, Suarez, Curiel, & alij Recentiores, quamvis diverso ducantur fundamento: Scotus enim existimat, transiente peccato, nihil ex illo manere nisi obligationem ad pœnam, quæ obligatio per solum extrinsecum Dei favorem tolli & relaxari potest: Suarez verò, Curiel, & alij, qui maculam peccati à reatu pænæ distinguunt, dicunt eam posse tolli à peccatore sine communicatione alicujus doni gratuiti & intrinseci, subindeque absque intrinseca ipsius mutatione, vel per hoc quod homo dispen-

A serur ab observatione legis, vel per hoc quod à statu naturæ elevatæ, ad statum naturæ puræ transferatur.

Secunda opinio docet iustificationem imperfectam, quæ dicit solum remissionem offensæ, absque infusione ullius doni gratuiti & supernaturalis, fieri posse de potentia Dei extraordinaria, non autem iustificationem completam & perfectam, quæ non solum remissionem offensæ, sed etiam ablationem maculæ ex peccato præcedenti relicte, ac interiorem hominis renovationem importat. Ita docet Philippus à S. Trinitate in Tractatu de gratia disp. 6. dubio 4. citans pro hac sententia Ferrariensem, Sotum, & Ledesinam.

B Tertia asserit ad iustificationem peccatoris, sive perfectam, sive imperfectam, requiri aliquam gratiam intrinsecam, non tamen gratiam habitualem, sed sufficere actus contritionis & charitatis, qui de potentia Dei absoluta possunt esse causa formalis iustificationis. Hanc tenent Montezino disp. 33. quæst. 6. Aravius hic dub. 3. conclus. 2. & Marcus à Serra dub. 2.

Quarta, necessariam omnino existimat gratiam habitualement ad iustificationem & remissionem peccati, tam in statu naturæ puræ, quam in statu elevationis ad ordinem & finem supernaturalem. Ita docet Medina hic art. 2. & Joannes à S. Thoma disp. 27. art. 2. & quidam alij ex nostris Thomistis.

C Quinta denique, quæ in schola D. Thomæ communior est, affirmat hominem ordinatum ad finem supernaturalem, non posse iustificari sine dono intrinseco gratiæ habitualis, benè tamen hominem non ordinatum ad finem supernaturalem, seu in statu puræ naturæ constitutum.

§. II.

Rejiciuntur due primæ sententia.

D Ico primò: Non potest homo, etiam per extraordinariam potentiam, perfectè & completè iustificari per solum favorem externum Dei.

Probat: Iustificatio perfectâ & completa non dicit tantum remissionem, seu condonationem injuriæ Deo per peccatum illatæ, sed etiam emundationem à macula, ex peccato actuali in anima relicte: Atqui homo non potest mundari à tali macula, per solum extrinsecum Dei favorem, sed ad hoc requiritur necessariò infusio alicujus doni gratuiti & supernaturalis: Ergo non potest homo perfectè & completè iustificari per solum favorem Dei extrinsecum. Major patet ex dictis §. præcedenti in prima suppositione. Minor probatur: Macula peccati non consistit in reatu seu condignitate pænæ, sed in privatione gratiæ, ut contra Scotum in Tractatu de peccatis ostendimus: Atqui privatio gratiæ non potest tolli per solum favorem Dei extrinsecum, sed solum per infusionem alicujus doni gratuiti & supernaturalis; cum enim privatio sit carentia & absentia formæ, semper in subiecto intelligitur, donec forma ipsi opposita advenire concipiatur: Ergo homo non potest emundari à macula peccati, per solum extrinsecum Dei favorem, sed solum per receptionem alicujus doni gratuiti & supernaturalis.

E Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Ea quæ proveniunt ex natura rei, & non ex libero Dei decreto, nequeunt mutari ex sola mutatione divini decreti, sicut ea quæ ex solo Dei statuto dependent: Sed macula peccati provenit ex ipsa

natura peccati mortalis, independenter à libero Dei decreto: sicut esse mortuum, cæcum, aut ignorantem, non provenit ex libero Dei statuto, sed ex natura harum privationum: Ergo sicut homo manebit mortuus, cæcus, aut ignorans, nisi mutetur intrinsecè & physice in seipso; ita & peccator manebit maculatus, nisi per receptionem alicujus doni supernaturalis mutetur intrinsecè.

61. Confirmatur ampliùs: Macula peccati non pendet à Deo in fieri, nec in conservari; tum quia non est aliquid positivum, sed mera privatio gratiæ; tum etiam quia Deus nequit esse author vel conservator peccati: Ergo non potest solà suà voluntate, vel per solam subtractionem sui concursus, talem maculam delere aut destruere, sed ut illam tollat, necesse est quod in anima peccatoris producat aliquam formam ipsi oppositam, quæ illam expellat, subindeque quod ipsum peccatorem physice & intrinsecè immutet. Sicut quia tenebræ non sunt aliquid positivum in aëre, sed mera privatio lucis, non possunt ab eo removeri, nec destrui, per solam cessationem divini concursus, sed duntaxat per introductionem formæ oppositæ, scilicet lucis, & per consequens per veram & intrinsecam ipsius mutationem.

62. Respondent Adversarij, duplicem dari privationem, unam physicam, quæ est carentia formæ, quam subiectum tenetur ex natura rei habere; aliam duntaxat moralem, quæ est absentia formæ quam habere tenetur subiectum, non ex natura rei, sed ex divina tantum ordinatione: inter quas hæc est notabilis differentia, quod prior tolli non potest, nisi per introductionem formæ cuius dicitur privatio, bene tamen posterior, per hoc videlicet præcisè quod cesset vel. mutetur divina ordinatio: privatio autem (inquiunt) in qua consistit macula peccati, non est physica, sed moralis, quia est absentia formæ, videlicet divinæ gratiæ, quam habere non tenetur homo ex natura rei, sed ex divina ordinatione, subindeque solum remanet in ratione privationis, quando durat ordinatio divina; unde si Deus mutaret talem ordinationem, & hominem ad statum naturæ puræ transferret, vel ipsum per favorem extrinsecum à legis observatione dispensaret, absentia talis gratiæ non esset ampliùs privatio, sed mera negatio, adeoque non haberet ampliùs rationem maculæ, seu peccati habitualis: sicut quando Prælati in religione dispensat subditum ab obligatione regulæ, per talem dispensationem, quæ est favor duntaxat extrinsecus, cessat obligatio regulæ, & ejus transgressio, quæ durante obligatione erat moralis & privativa, fit purè negativa, & definit esse culpabilis.

63. Sed contra primò: Tandiu carentia gratiæ habet rationem privationis moralis, quando manet voluntaria, nec potest sub ratione maculæ & privationis moralis tolli à peccatore, nisi ab eo tollatur quatenus est voluntaria: Sed absque intrinseca peccatoris mutatione, non potest tolli à privatione gratiæ ratio voluntarij: Ergo sine mutatione intrinseca peccatoris non potest destrui seu tolli, prout habet rationem maculæ, & privationis moralis & culpabilis. Major patet: ratio enim voluntarij est fundamentum moralitatis & culpæ. Minor probatur: Privatio gratiæ est voluntaria per ordinem ad suam causam, videlicet peccatum actuale, seu volitionem malam & peccaminosam ex qua resultat, unde non potest

Tom. IV.

A desinere esse voluntaria, nisi talis volitio retractetur: Sed illa retractari nequit absque intrinseca mutatione peccatoris; quia cum sit actus liber, & à voluntate elicitus, non potest retractari nisi ab ipsamet voluntate quæ peccavit, & nisi per alium actum ei formaliter aut virtualiter oppositum, vel saltem per infusionem gratiæ habitualis, quæ cum ordinet hominem ad Deum, & rectificet omnes ejus potentias, est quædam eminens & virtualis retractatio peccati: Ergo non potest tolli à privatione gratiæ ratio voluntarij, absque intrinseca peccatoris mutatione.

Secundo: Non potest Deus ita mutare ordinationem hominis ad finem supernaturalem, ut faciat illum qui ordinatus in talem finem peccavit, nunquam fuisse in talem finem ordinatum; ad præteritum enim non est potentia: Sed ut carentia gratiæ maneat in ratione maculæ & privationis moralis, sufficit ut quando homo peccavit, teneretur talem ordinationem habere, atque adeo gratiam ipsam; sicut ut maneat privatio conformitatis ad legem positivam, quam quis transgressus est, sufficit ut tempore ipsius transgressionis teneretur se tali legi conformare, licet postea, vel quia lex cessavit, vel quia ab ea exemptus est, non teneatur ampliùs ei se conformem reddere: Ergo si homo, quando peccavit, ordinatus erat in finem supernaturalem, atque adeo debebat habere gratiam, etsi postea decernat Deus non dare ipsi gratiam, eumque ad statum puræ naturæ transferat, tamen defectus ejus non erit mera negatio, sed privatio culpabilis, atque adeo rationem maculæ habebit.

Tertiò: Peccatum habituale, quod in peccatore remanet, transacto actu peccati, non solum importat privationem gratiæ habitualis, convertentis habitualiter hominem ad finem supernaturalem, sed etiam privationem conversionis in Deum ut authorem & finem naturalem: Atqui Deus non potest facere per favorem extrinsecum, quod ista privatio non sit moralis & culpabilis, cum non possit eximere creaturam rationalem ab obligatione se convertendi in ipsum ut authorem & finem naturalem: Ergo implicat quod per solum favorem Dei extrinsecum, & absque intrinseca peccatoris mutatione, peccatum habituale totaliter destruat.

Potest insuper suaderi conclusio contra Suarem, argumento ad hominem: Nam ille Author in materia de Eucharistia contendit admittendum esse, unum & idem corpus posse, de absoluta Dei potentia, esse circumscriptivè in pluribus locis, ut ex hoc melius defendi possit contra hujus temporis hæreticos, corpus Christi simul in cælo & in Eucharistia præsens esse. Ergo similiter nos dicere possumus, ad probandum efficaciter contra eosdem hæreticos, justificationem impij fieri per innovationem interiorem, & infusionem justitiæ inhærentis, & firmius stabiliendam veritatem catholicam, à Sacrosancta Synodo Tridentina sanctam; nos pariter debere asserere, quod nec de potentia absoluta possit justificatio impij fieri sine justitiæ inhærente, & intrinseca peccatoris mutatione.

Dico secundò: Justificatio etiam imperfecta & incompleta, per solum favorem Dei externum, & absque gratia peccatori inhærente, fieri nequit, etiam de absoluta Dei potentia.

Probatur: Justificatio imperfectè & incompleta sumpta, est remissio seu condonatio offensæ, Deo per peccatum illatæ: Sed talis condona-

S iij

tio, seu remissio, nequit fieri per solum favorem Dei extrinsecum, & absque gratia peccatori inhaerente, etiam de absoluta Dei potentia: Ergo nec justificatio imperfecta & incompleta. Major patet ex dictis §. precedenti in 1. suppositione. Minor verò probatur ratione D. Thomae hic art. 2. Impossibile omnino est quod Deus peccatori remittat offensam, nisi fiat ipsi pacatus: Sed Deus nequit pacari homini peccatori, sine alicujus doni supernaturalis infusione, subindeque sine intrinseca ipsius peccatoris mutatione: Ergo nec ipsi offensam remittere. Major patet: Offensa enim non remittitur, quando animus offensus non pacatur offendenti. Minor verò suadetur: Deum pacari nobis, est diligere nos dilectione speciali: Sed Deus non potest peccatorem speciali amore diligere, nisi per talem dilectionem aliquem effectum ipsi imprimat, seu donum aliquod gratuitum & supernaturale ipsi infundat: Ergo Deus nequit pacari homini peccatori, sine alicujus doni supernaturalis infusione, & intrinseca ipsius peccatoris mutatione. Major est evidens, quia pax in Deo respectu nostri in nullo alio potest consistere, quam in speciali ejus dilectione. Minor probatur primò ex differentia, quam S. Thomas supra quæst. 110. art. 1. ponit inter amorem divinum & humanum: amor enim humanus, cum sit sterilis, & non sit effectivus, sed affectivus, non immutat intrinsecè objectum quod diligit, neque ponit in eo bonitatem & perfectionem, sed illam supponit; amor verò divinus, cum sit fecundus & efficax, & magis sit effectivus quam affectivus, intrinsecè immutat objectum quod diligit, nec supponit, sed ponit bonitatem in rebus; unde idem S. Doctor 1. p. quæst. 20. art. 2. sic ait: *Amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus*: Ergo Deus non potest peccatorem speciali amore diligere, nisi per talem dilectionem aliquem effectum ipsi imprimat, eumque intrinsecè immutet.

68. Confirmatur: Divina voluntas non potest intrinsecè mutari in seipsa, sed solum potest acquirere novum respectum rationis, ex reali mutatione objecti creati ad quod terminatur: unde si voluntas divina incipiat amare peccatorem, quem antea odio habebat, ipsumque per actum specialis dilectionis respicere, oportet quod aliqua mutatio intrinseca fiat in ipso peccatore.

69. Confirmatur amplius: Impossibile est fieri transitum de uno contradictorio intrinseco in aliud, sine aliqua mutatione ex parte alicujus extremi: Sed cum Deus incipit peccatorem speciali amore diligere, ille transit de uno contradictorio intrinseco in aliud, nempe de infenso & exoso ipsi Deo, in non infensum & non exosum: Ergo tunc debet fieri aliqua mutatio; & cum illa non possit esse ex parte Dei, necessariò debet se tenere ex parte peccatoris. Minor patet, Major verò suadetur. Si unum contradictorium existat realiter & intrinsecè in subjecto, ut alterum contradictorium possit verificari, necesse est quod à subjecto expellatur aliqua forma intrinseca: Sed expulsio formæ intrinsecæ non potest fieri nisi per mutationem intrinsecam: Ergo nec transitus de uno contradictorio intrinseco in aliud.

70. Respondent primò Adversarij, Deum quidem non posse de novo diligere peccatorem quem antea odio habebat, nisi eum faciendo objectum congruum talis dilectionis; in eo tamen distinguendam esse duplicem dilectionem, unam scilicet positivam, quæ velit ipsum positivè habere

A amicum, & hanc habere bonum pro objecto: aliam verò quasi negativam, quæ vult non amplius esse illi offensum; & istam habere pro objecto solum absentiam mali; sicque peccatorem fieri objectum congruum talis dilectionis, ex eo solum quod ab ipso auferatur malum culpæ, & ipsi remittitur à Deo injuria sibi per peccatum illata.

Sed contra: Etsi inter homines possit ita fieri remissio culpæ, per solum negativam dilectionem, quæ unus homo nolit esse amplius offensus & inimicus alteri, condonando ei injuriam, hoc tamen non est Deo possibile. Ratio autem disparitatis est duplex: Prima est, quia unus homo potest remittere & condonare offensam alteri, per sui mutationem, & eliciendo actum de novo, quo vult illi non esse amplius offensus; Deus autem, cum sit ab intrinseco immutabilis, non potest remittere offensam per sui mutationem, sed solum per mutationem ipsius peccatoris. Secunda est, quia offensam hominis contra hominem nihil offendentem auferit, cujus privatione manente non remittitur offensam, sicque ut remittatur, non est necessarium, aliquid inhærens offendentem producere, sed sufficit extrinseca condonatio offensus: At offensam contra Deum auferit offendentem gratiam, conversionem ad Deum, & conformitatem ad rationem & legem; quarum privatio dum manet, non remittitur Dei offensam, sicque necessarium est, ut aliquid reale & inhærens producat in homine, quo talis privatio auferatur, & offensam remittatur.

Respondent secundò, ut peccator transeat de infenso & exoso, in non infensum & non exosum Deo, sufficere mutationem ipsius extrinsecam & moralem; qualis contingit in moneta, quando auctoritate Principis ejus valor augetur aut minuitur.

Sed contra primò: Quando valor monetæ augetur a Principe, fit aliqua mutatio in uno extremo, nempe in Principe habente novum actum voluntatis, unde hoc exemplum potius confirmat nostram rationem, quam eam infirmet: sicut enim ex eo quod valor monetæ petatur à voluntate Principis, non potest mutari, nisi intrinsecè mutetur voluntas Principis: ita similiter cum ratio offensæ sive injuriæ in peccato habeat quod sit voluntaria ex voluntate peccatoris, non potest tolli, nisi intrinsecè mutetur peccator in sua voluntate.

Contra secundò: Cum valor monetæ non sit quid physicum & intrinsecum, sed morale, & monetæ extrinsecum, non mirum est quod sufficiat monetam moraliter & extrinsecè mutari, ut mutetur ipsius valor: at verò ratio offensæ, cum consistat in aversione à Deo, intrinseca voluntati peccatoris; non potest tolli, nisi mutetur intrinsecè peccator. Ex quo etiam patet, ad remissionem offensæ non sufficere solum mutationem temporis, vel alicujus alterius circumstantiæ, aut conditionis peccatori extrinsecæ.

Nec valet si dicas, in dispensatione voti Deum relaxare ejus vinculum, absque ulla intrinseca mutatione voventis: Ergo poterit etiam, absque intrinseca mutatione peccatoris, eum liberare à reatu culpæ, & offensam ipsi remittere. Non valet, inquam, Deus enim relaxare potest voti vinculum, absque physica mutatione voventis, per solum mutationem moralem, quia voti obligatio dependet ex duobus, nempe ex promissione voventis, & acceptatione Dei, quæ acceptatio

in votis, quæ dispensatione tolluntur, non est facta a Deo, nisi usque ad illud tempus quo peteretur dispensatio, & concederetur ministerio Vicarij Christi, aut aliorum habentium in Ecclesia facultatem dispensandi; unde adveniente illo tempore, positis alijs, cessat illa obligatio, per solam immutationem moralem voventis. At verò esse aversum à Deo, non est effectus dependens ex aliqua Dei dispositione, sed ex sola natura peccati mortalis, sicut esse cœcum, aut mortuum, provenit formaliter ex sola natura privationis visus, aut vitæ: ac proinde sicut esse cœcum, aut mortuum, non potest tolli nisi per receptionem formarum, hujusmodi privationibus oppositarum; ita & esse aversum à Deo (in quo consistit ratio offensæ seu injuriæ, ipsi per peccatum mortale illatæ) tolli nequit per solam temporis, aut divinæ voluntatis mutationem, sed duntaxat per receptionem alicujus formæ supernaturalis, convertentis in Deum, ut in ultimum finem, ut magis patebit ex infra dicendis.

§. III.

Præcipua objectiones solvuntur.

76. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Macula peccati consistit vel in reatu seu condignitate pœnæ, ut docet Scotus, vel in aliqua entitate positiva, nimirum in aliquo habitu, quo anima & voluntas peccatoris manent conversæ habitualiter ad bonum commutabile, sicut ad ultimum finem, ut aliqui ex nostris Thomistis existimant: Ergo potest à Deo tolli per solum favorem extrinsecum, absque intrinseca peccatoris mutatione. Consequentia patet: nam remissio pœnæ fieri potest per solam extrinsecam ejus condonationem: item cum Deus omnem entitatem positivam conservet tanquam vera causa, eam potest destruere, suspendendo concursum conservantem, quæ suspensio fit absque ulla positione formæ in subiecto: Ergo si macula peccati, seu peccatum habituale, in condignitate pœnæ, vel in aliquo habitu positivo consistat, tolli poterit per solum favorem Dei extrinsecum, absque aliqua mutatione intrinseca peccatoris.

77. Respondeo negando Antecedens quoad utramque partem. Ut enim ostendimus in Tractatu de peccatis, macula peccati, seu peccatum habituale, nec in reatu seu condignitate pœnæ consistit, sed est aliquid medium inter actum peccati, & reatum, quasi effectus actus, & fundamentum reatus, ut ait S. Thomas in 2. dist. 42. in expositione textus; nec in aliquo habitu inclinante voluntatem ad bonum commutabile, ut docet idem S. Doctor in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 2. his verbis: *Macula non est dispositio ex actu causata, nec habitus: quod patet ex hoc quod dispositio & habitus possunt sine gratia destrui per contrariam consuetudinem, macula autem sine gratia non auferitur.* Addo quod, licet daretur maculam peccati in aliquo positivo consistere, tamen non sequeretur illam posse tolli sine intrinseca peccatoris mutatione; quia illud positivum dependeret essentialiter à causa voluntaria, & consequenter nisi per aliquem actum, vel habitum, formaliter aut virtualiter retractaretur, semper maneret. Posset etiam dici, quod illud positivum non posset à Deo tolli, nisi ex speciali dilectione & benevolentia, quæ, ut supra ostendimus, si-

A ne mutatione intrinseca supernaturali nequit intelligi.

78. **O**bjicies secundò: Esto macula peccati, seu peccatum habituale, in sola privatione gratiæ habitualis consistat, nihilominus absque ulla gratiæ inhærente tolli potest: Ergo hoc non obstante, justificatio perfecta & completa fieri potest, absque intrinseca peccatoris mutatione. Consequentia patet, Antecedens probatur. Deus potest revocare ordinationem hominis in finem supernaturalem, ipsumque ad statum naturæ puræ transferre: Sed tunc macula peccati absque ulla gratiæ inhærente tolleretur, dato etiam quòd illa in privatione gratiæ habitualis consistat; nam cum in illo casu fieret homo subiectum incapax illius, ejus carentia in puram negationem transiret, pura autem negatio gratiæ non est macula: Ergo, dato etiam quod macula peccati in sola privatione gratiæ habitualis consistat, potest à Deo tolli absque ulla gratiæ inhærente, & sine intrinseca peccatoris mutatione.

79. **A**d hoc argumentum, quod est præcipuum Adversariorum fundamentum, respondeo negando Antecedens. Et ad ejus probationem dico, quod licet Deus posset revocare ordinationem hominis in finem supernaturalem, ita ut deinceps in talem finem non esset ordinatus, implicat tamen quod postquam homo ordinatus in illum finem peccavit, faciat Deus quod non habuerit talem ordinationem: sufficit autem, ut remaneat privatio gratiæ in ratione privationis, & non reducat in puram negationem, quòd homo antequam peccaret, vel quando peccavit, talem ordinationem habuerit, ut antea probatum est.

80. **O**bjicies tertio: De potentia absoluta gratia potest auferri sine peccato: Ergo & peccatum sine gratia.

Confirmatur: Quando aliqua duo ita se habent adinvicem, ut non opponantur immediate, potest unum expelli à suo subiecto, absque eo quod introducat aliud, ut patet in calore & frigore, in albedine & nigredine; potest enim idem subiectum fieri de calido non calidum, neque frigidum, & de albo non album, neque nigrum: Sed gratia & peccatum non opponuntur immediate; quandoquidem inter statum gratiæ, & statum peccati, datur medium, videlicet status puræ naturæ: Ergo potest, saltem per absolutam Dei potentiam, peccatum tam quoad rationem offensæ, quam quoad rationem maculæ auferri, subindeque peccator perfectè & completè justificari, absque infusione gratiæ, & sine intrinseca ac supernaturali ipsius mutatione.

81. **R**espondeo ad objectionem, concessio Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem. Ratio autem discriminis est, quia gratia in suo esse, fieri, & conservari, à Deo dependet, subindeque per solam subtractionem concursus, quo eam conservat, potest destrui: at verò peccatum habituale non sic dependet à Deo; & ideo non potest per solam concursus divini subtractionem, sive per solam extrinsecam condonationem deleri, sed solum mediante infusione formæ contrariæ.

82. **A**d confirmationem respondetur cum D. Thoma quæst. 28. de verit. art. 2. ad 4. quod licet gratia & peccatum absolute loquendo non sint opposita immediate, respectu tamen hominis lapsi immediate opponuntur. Sicut cæcitas & visio in cane non opponuntur immediate, absolute loquendo, bene tamen post nonum diem à